

precedente contentionum materiam subministrarunt, dum unaquæque suos fautores habebat. Nam et illa antiqua, seu Itala apud Augustinum supra citatum, melior iudicabatur, licet etiam libro XVIII de civitate, cap. XLIII, valde laudaverit Hieronymi laborem. Sanctus autem Isidorus libro VI etymologiarum, capite VI Hieronymi versionem cæteris anteposuit. Itaque post S. Gregorii tempora ex illis duabus vulgatis veteri et nova, una conflata est ad communem Ecclesiæ usum, quæ vulgata communis dicta est, et hæc ab illis temporibus semper in Ecclesia fuit in usu, et tandem decreto Concilii Tridentini approbata est. De quo vide Baronium anno Christi Domini 231 et hæc est quæ diutius perseveravit in Ecclesia, et nunc perseverat. Editio vero septuaginta antiqua negligi, et quasi extingui cœpit, quousque tempore Sixti V iterum restituta est, et legendum proposita ejus auctoritate.

DE PERPETUA SCRIPTURÆ CONTINUATIONE IN ECCLESIA.

XXXIX. Inquiri tertio potest, an sit inconueniens asserere, quod aliquo tempore Ecclesia fuit sine sincera et pura Scripturæ editione. Respondetur aliquos id admittere, nec reputant inconueniens, quod saltem ad breve tempus id ita fuerit in Ecclesia. Ita Lorea tractatu de locis catholicis, libro primo, disput. VII, num. X. Qui tamen disput. VI, num. VI, dicit fuisse semper puram Scripturam in corde Ecclesiæ, licet communis lectio corrupta esset; nec hoc est inconueniens, esset tamen si diu hoc perseveraret, nec Ecclesia emendandum curaret. Et ita asserendum sentit pro illo tempore, quo editio septuaginta fuit vitiata,

et corrupta, nec tamen plene emendata ab Origine, et aliis; si enim plene emendata esset, et ad puritatem redacta, non esset necessarius labor Hieronymi ad versionem Scripturæ faciendam, ut ipse testatur præfatione in libro Paralipomenon. Tunc autem non erat alia communis editio ab Ecclesia approbata, et in usu communi, nisi editio septuaginta, ut ex Philastrio, Origene, et Epiphano supra ostendimus. Igitur tunc pura, et legitima Scriptura solum erat in corde Ecclesiæ quatenus habebat in se principia, unde posset illam emendare, et purificare, licet formaliter non haberet pure emendam.

XL. Cæterum magis verisimile videtur, idque maxime ad Dei providentiam pertinet, ut nunquam reliquerit Ecclesiam sine vera et sincera Scriptura etiam in publico, ita ut fidem faceret ad confirmanda dogmata, esset enim hoc deficere in necessariis, quia nihil ita necessarium est ad fidei sinceritatem tenendam, quam certificari, et habere in usa sinceram editionem Scripturæ, quod late prosequitur Origenes in epistola ad Africanum, et certe ex omnibus statibus, et temporibus, quos præcedenti quæstione numeravimus constat in omnibus illis temporibus veram fuisse Scripturam, quidquid sit an variæ translationes essent, et aliqui dubitarent de exemplarium fide; aliquorum enim dubitatio, et translationum varietas non tollebat solidam Ecclesiæ sententiam circa sinceram editionem Scripturæ. Quando vero in Ecclesia corrupta fuit editio septuaginta dicimus providisse Deum sinceram editionem Scripturæ. Primo quidem tempore Hieronymi erat incorrupta editio septuaginta in hexaplis Origene, ut ipse testatur in epistola ad Sunniam, et Fretellam, licet in aliis editionibus corrupta haberetur. Et S. Augustinus XI con-

tra Faustum, capite II, testatur varietates sententiarum, ex exemplaribus Scripturæ fuisse paucas, et Scripturarum studiosis notissimas. Unde quod multæ essent de his, potius id erat ex aliquorum hominum imperitia, quam ex defectu sinceræ editionis in Ecclesia. Ante tempora vero Origene Tertullianus testatur videri apud Serapæum in Ægypto Hebraicum codicem Scripturarum a temporibus Ptolomæi. Et quidquid de hoc fuerit, tamen in Ecclesia fuisse tunc etiam legitimam Scripturarum editionem constat, alias frustra Tertullianus libro de præscriptionibus contra hæreticos; Irenæus libro III de fide, cap. IV; et Augustinus XXVIII; contra Faustum, cap. IV, pro veris Scripturis ad Ecclesiam præsertim apostolicam recurrendum docuissent, si tunc non inveniebatur etiam in publico usu legitima editio Scripturarum.

QUID PRÆTER VULGATAM ALIÆ TRANSLATIONES VALEANT AD CONFIRMANDA DOGMATA.

XLI. Inquiri potest quarto, an ex aliis translationibus quam ex vulgata possit argumentum solidum duci pro confirmatione dogmatum. Et ratio dubitandi est, quia in casu dubii de aliqua translatione, aut quando corrigendum est aliquid in vulgata, recurrendum est ad textum Hebræum, ut etiam docet S. Augustinus XI contra Faustum, cap. II. Et colligitur etiam ex Hieronymo præfatione in librum Paralipomenon et epistola ad Pammachium de optimo genere interpretandi. Igitur oportet quod in ipsis Hebraicis exemplaribus sit auctoritas etiam infallibilis, alias frustra ab illis peteretur resolutio in dubiis, et varietatibus translationum.

XLII. Respondetur in translatio-

nibus sacræ Scripturæ, seu editionibus posse nos distinguere, aut eas quas Ecclesia permittit, aut eas quas approbat, et inter eas quas approbat adhuc quasdam approbat tamquam simpliciter authenticas, et certæ auctoritatis, quasdam tamquam correctiones in illo genere, licet non simpliciter authenticas. Quod attinet ad permissionem, multas et varias editiones Ecclesia permittit dummodo translationi vulgatæ non sint contrariæ, hoc enim etiam ab initio Ecclesiæ permisit, cum totæ tam diversæ editiones fierent sicut constat ex editionibus Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, etc. licet factæ essent ab hominibus hæreticis, et modo etiam multæ, ac diversæ translationes permittuntur, ut Pagnini, Cajetani, Oleastri, Vatabli, Isidori, et Clarii, etc. In quo tamen valde observandum est, quod ut aliqua translatio Scripturæ permittatur, non debet esse contraria vulgatæ editioni, nam si contraria sit, nullo modo permittenda est, ut communiter censent doctores, qui post Concilium scripserunt, Azorius tomo primo, lib. VIII, cap. XIII; Suarez libro de fide, disp. V, sect. III, num. X; Lorea tractatu de locis, disp. X. Et hoc sumitur ex ipso decreto Concilii sessione IV, ubi definit, quod nemo illam editionem vulgatam quovis prætextu rejicere audeat, vel præsumat; qui autem contrariam aliquam editionem editioni vulgatæ teneret, in eo in quo contraria esset, illam rejiceret. Et ideo prodiit decretum sacræ congregationis, quæ a Marsilla, et Barbosa ad locum Concilii, et a Suarez citatum refertur in hunc modum: « Ne vel periodus, vel una clausula, dictio, vel syllaba, iota ac unum repugnet in veteri vulgatæ linguæ Latinæ editione. » Quoad oppositiones autem contextus Græci, aut Hebraici cum Latina vulgata editione congregatio remisit

ad tertiam regulam iudicis sub Pio IV editam. Quare in quantum aliqua ex istis novis translationibus vulgatam editionem volunt omnino reducere ad Hebraica originalia, quæ nunc extant, et ipsi pro legitimis translationibus habent, omnino rejiciendæ sunt, nec in publico usu Ecclesiæ, aut concionum, vel disputationum admittendæ. In quo fortasse aliqui etiam ex catholicis excesserunt plus deferendo originalibus Hebraicis a se translatis, quam vulgatæ, et si excusari possint si ante Concilium Tridentinum id fecerunt. Omnes etiam translationes Scripturæ ab hæreticis factæ permittendæ non sunt, sed reprobantur ab Ecclesia in iudicis expurgatorio. Solum ergo illæ translationes, quæ vulgatæ nostræ in aliquo non repugnant permittuntur.

XLIII. Quid autem censeatur repugnare vulgatæ editioni ex ipso Concilio accipiendum est; Concilium enim prohibet, ne quis rejicere audeat editionem vulgatam, et congregatio cardinalium prohibet, ne aliquid repugnet editioni vulgatæ. Illud ergo censeatur repugnare quod rejicit illam editionem, et quasi falsificat, aut tollit ejus sensum tamquam indebitum. Si vero non rejicit vulgatam, sed tamen juxta propriam translationem diversum sensum transfert, etsi non contrarium, non censeatur repugnare, et rejicere vulgatam; constat enim Hebraicam linguam habere multa verba, quæ diversos sensus patiuntur, unus tamen non debet rejicere alium, alias si quilibet sensus etsi diversus, sed non contrarius, censeretur repugnare vulgatæ, rejici deberet psalterium Hieronymi juxta veritatem Hebraicam, quod in multis maxime distat a nostro psalterio; deberet etiam rejici editio septuaginta, quam nuper sua auctoritate approbavit Sixtus V, in qua constat multa esse

diversa a nostra editione, de quibus infinita fere exempla habentur in thesauro Pagnini, et melius in dictionario cardinalis Ximenii in bibliis Complutensibus, et in locis correctis annotatis a Francisco Luca, plurima inveniuntur correctæ, quæ aliter legebantur in diversis exemplaribus, quæ tamen exemplaria non sunt damnata, etsi minus correctæ. Nos brevitatis causa illa omittimus.

LXIV. Quoad eas vero translationes, quas Ecclesia non solum permittit, sed etiam approbat, præter vulgatam editionem, quam certum est ab Ecclesia recipi, ut authenticam simpliciter in Tridentino duo sunt de quibus magis dubitari potest. Primo, de ipso originali Hebræo pro veteri testamento, aut Græco pro novo, an habeat auctoritatem infallibilem; tum propter rationem dubitandi factam a principio; tum, quia alias non habemus in Ecclesia textum Scripturæ sufficientem ad convincendos Judæos, aut hæreticos, qui nostram vulgatam non admittunt. Secundo, de ipso editione septuaginta dubitatur, quia Sixtus V illam videtur approbasse, ut constat ex quodam ipsius brevi, quod habetur in libro editionis septuaginta, ubi pontifex tamquam emendatam talem editionem proponit, et ne aliter possit evulgari præcipit, igitur pro vera, et legitima habenda est, et consequenter auctoritatem habet infallibilem.

XLV. Respondetur quod attinet ad editionem Hebraicam nos non intelligere quæcumque editionem factam ab Hebræis, vel rabbinis, sicut editio septuaginta solet nonnunquam vocari editio facta ab Hebræis, seu Judæis, non tamen est ipsum originale Hebræum, sed translatio ex Hebræo: et similiter paraphrasis Chaldaica, quam Targum vocant, a rabbinis facta est, et

aliæ similiter editiones, quæ licet Hebraicæ sint, non tamen dicuntur ipsa originalis editio, neque etiam originalia Hebraica. Hebraica vocamus illa quæ ex immediata Dei dictione excepta sunt, hæc enim modo non extant, sed solum transumptiones illorum originalium, in quibus conservatur Scriptura, et modo illa habemus tamquam originale Hebraicum, et de illo est quæstio, quam auctoritatem habet. Aliqui enim hæretici ut refert Bellarminus libro I de verbo Dei, capite II, censent puriorem esse textum Hebræum, quam nostram vulgatam, et ex Catholicis aliqui plus nimio illi tribuunt ut Cajetanus, Eugubinus, Oleaster, et alii. Alii vero per alium extremum existimant textum Hebræum esse omnino corruptum, et nullam ei debere fidem.

XLVI. Nihilominus dicendum videtur quod in his in quibus textus Hebraicus consentit cum nostra vulgata saltem in sensu, quidquid sit de verbis, et significationibus eorum variis, Hebraicum non esse corruptum, sicut Hieronymus in epistola ad Sumniam et Fretellam sentit, quod pura editio septuaginta quæ tunc habebatur non dissentiebat ab Hebræo. In his vero in quibus modo textus ille Hebræus a vulgata, nec eam admittit, nec aliquid illius, est enim hoc originale corruptum, et aliter quam fuit ab initio, sive id causatum sit ex negligentia hominum, vel Judæorum malitia, vel ex additione punctorum ad litteras Hebraicas, quæ olim sine punctis seu vocalibus legebantur, modo vero est facile unum punctum, seu vocalem ponere pro alia, et sic mutare totaliter sensum: et ideo simpliciter loquendo, quia in aliquibus dissentit Hebraicus textus a vulgata aut illi repugnat; ideo simpliciter non est Hebraicum originale, seu editio sicut modo habetur apud nos

auctoritatis infallibilis ad confirmanda dogmata fidei. Quod ergo in multis dissentiat Hebraica editio manifestatur pluribus exemplis, quæ affert Lorca ubi supra disputatione V; Bellarminus citatus; Torres in secunda secundæ, disput. XXI, dubio I, ubi videri possunt, et in locis supra citatis. Nos autem brevitatis causa ea omittimus. Ratio vero horum sumitur ex dictis, quia editio vulgata in omnibus recipienda est tamquam authentica; ergo si in aliquo dissentit ab illa editio exemplarium Hebraicorum, in illis talis editio Hebraica non potest esse authentica, quia omne quod rejicit, aut repugnat editioni vulgatæ non est recipiendum. Ad quid ergo Ecclesia illam editionem approbet, in solutione argumentorum dicemus.

XLVII. Quod vero attinet ad editionem septuaginta si illa quidem inveniretur sicut facta est ab illis, aut saltem sicut dicitur a Hieronymo puram, et immaculatam fuisse in hexaplis Origenis sine dubio esset infallibilis auctoritatis, quia tamen ea versio, quæ nunc extat non omnino videtur pura ita quod in nullo contrarietur editioni vulgatæ, ideo simpliciter non est regula fidei, licet magnæ auctoritatis sit post emendationem ejus factam a Sixto V, qui tamen in illo loco non definiit illam editionem quam proponebat esse regulam fidei, et simpliciter authentica, sed præ cæteris editionibus septuaginta emendatiorem, scilicet in illo genere, non tamen simpliciter. Itaque cum editio ista septuaginta non in omnibus plene consentiat vulgatæ; ideo non potest in omnibus, et simpliciter esse canonica, et regula fidei. Et ita sentiunt Lorca, et Torres ubi supra Cano lib. II de locis, cap. XIII; Bellarminus lib. II de verbo Dei, cap. VI, et est communis sententia. Constat autem in multis dissentire hanc

editionem septuaginta a vulgata, tum in illo Genesis xxvi, ubi in nostra vulgata habetur servos Isaac dixisse de puteo: *Invenimus aquam*, editio autem septuaginta habet contradictorie: *Non invenimus aquam*: item Jonæ iii: *Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur* dicunt septuaginta; nostra vero editio: *Adhuc quadraginta dies*. Super quem locum S. Hieronymus dicit non posse defendi lectionem septuaginta, sicut etiam in quæstionibus Hebraicis super Genesim idem Hieronymus dicit non posse defendi supputationem annorum circa vitam Mathusalem quam habet septuaginta Genesis quinto, juxta quam Mathusalem etiam post diluvium supervixisset annis quatuordecim, et sic fuissent salvatæ plusquam octo animæ, contra id quod habetur i Petri iii.

XLVIII. Ad rationes dubitandi respondetur. Ad primam dicimus, in dubiis recurrendum esse ad textum Hebræum non simpliciter, sed prout in sua puritate; erat autem purus tunc quando facta est translatio vulgata ex illo, unde Hieronymus præfatione in commentaria Isaiaë ridet eos, qui Hebræos codices falsatos putant, nunc autem post approbationem vulgatæ tot sæculorum usu factam si Hebraici codices quos habemus non consentiunt cum nostra vulgata, quæ declarata est pro authentica, plane neque consentiunt cum illa Hebraica puritate, quæ erat illo tempore, quo vulgata editio facta est, et sic non mirum quod modo non habeatur, ut omnino pura, et infallibilis. Quod etiam advertitur in præfatione, quæ habetur nunc in bibliis correctis, scilicet, quod majores nostri qui ex Hebræis, et Græcis Latinam fecerunt copiam meliorum, et emendationem librorum habuerunt. Et aperte patet quod capite ii Exodi nunc deest in Hebræo clausula illa: *Alterum quo-*

*que genuit, et vocavit nomen ejus Eliazer, dicens: Deus patris mei auxiliatus est mihi, etc.* et Psalm. xviii illud: *In omnem terram exivit sonus eorum*, Hebraicus textus habet: *In omnem terram exivit linea, seu perpendiculum eorum*. Et multa alia similia sunt, quæ longum esset numerare.

XLIX. Vel secundo dicitur, quod non recurrimus ad textum Hebraicum in dubis tamquam ad regulam canonicam simpliciter, sed ut fiat collatio cum illo, sicut cum aliis exemplaribus tamquam cum emendatiori, et inde veritas eruatur, hac enim ratione Ecclesia approbat illum textum originale; tum, quia parum vitiatus est, et eo indigimus ad collationem faciendam cum ipso tamquam cum exemplari emendatiori in illo genere licet non authentico simpliciter; tum, ut paganos convincamus, qui si nolunt credere nostræ prædicationi de Christo, ostendamus codices Judæorum, apud quos habetur, et ita ipsi inimici nostri sint judices; hac enim de causa dispersos esse Hebræos, ut testimonium eorum codices præberent veritati S. Augustinus xviii de civitate, cap. xlvi, optime advertit. Unde ad secundam rationem dicitur ad convincendos Judæos satis superque sufficere ipsum textum Hebraicum in quo mysteria de Christo continentur, et aliquando apertius quam apud nos, ut est illud Psalmi ii, ubi nos legimus: *Apprehendite disciplinam*, habent Hebræi: *Osculamini filium ne irascatur, etc.* et Isaiaë liii: *Nos putavimus eum leprosum, et percussum a Deo*, Hebræi habent: *Leprosus, et percussum Deum, et humiliatum, etc.* Quod certe elarius divinitatem Christi convincit. Et in aliis testimoniis vix distat a vulgata nostra quando agitur de Christo. Ad id quod dicitur de versione septuaginta responsum est

jam quomodo loquatur pontifex in illo brevi non de editione septuaginta authentica simpliciter, sed in illo genere magis emendata.

QUAM PURITATEM HABEAT MODO EDITIO NOSTRA VULGATA?

L. Ultimo quæritur, an editio vulgata si pure, et sufficienter correctata, præsertim nunc post correctionem Sixti V et Clementis VIII ita ut in omnibus, et per omnia authentica sit, et fidem confirmet, etiam prout habetur in ordinariis codicibus. Ratio dubitandi est, quia hæc ipsa vulgata quæ approbata est decreto Tridentini correctata est modo; ergo si poterat admitti correctio non erat omnino authentica, in eo enim in quo correctata est non erat veritatis irrefragabilis, si quidem mutari potuit. Item modo non est de fide hanc correctionem esse legitimam et puram, nec enim id definitum est, neque a Clemente, neque a Sixto: ergo adhuc non constat nobis omnino quod illa sit authentica in omnibus; et ideo in præfatione quæ habetur in bibliis correctis id dicitur quod eam omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile est: ac denique quia non repugnat veritatem istam quantumcumque correctam, vitio scribentium, aut impressorum variari, et vitari; ergo quamvis fateamur in corde Ecclesiæ, et secundum computationem, et collationem omnium codicum, veram et sinceram esse hanc versionem, tamen prout in codicibus, et lectione Ecclesiæ habetur, non constat esse omnino puram et integram cum possit ex mille causis vitari, quas omnes evitare impossibile est humano modo.

LI. Respondetur in hac Latina edi-

tione vulgata, et correctata, quam nunc habemus, tria posse nos considerare. Primum est, ipsa fidelitas versionis, sive quantum ad substantiam, et sensum; aut etiam quantum ad accidentalem ornatum, puta energiam, eloquentiam, et perspicuitatem: secundum est, conservatio hujus versionis, seu interpretationis tam in corde Ecclesiæ, quam in codicibus, qui communiter sunt in usu Ecclesiæ: tertium est, quomodo, et qua certitudine nobis constet hanc ultimam correctionem esse legitimam, ita quod possit in omnibus confirmare fidem, præsertim quando corruptio ita facta erat, quod quasi diversam veritatem constituebat propter diversitatem sensus. Et quantum ad primum ipsa fidelitas versionis non sumitur ex correctione nostra facta, sed ex antiquo tot sæculorum usu in Ecclesia habenda est pro legitima, non solum quantum ad ea, quæ pertinent ad fidem, aut mores, sed etiam quoad omnes litteras, et apices; hoc enim necesse est fateri postquam hæc ipsa editio decreta est esse authentica: de ratione enim Scripturæ authenticæ est, ut omnes ejus clausulæ, et apices certæ, et indubitatae auctoritatis sint, alias si aliquid titubatur hoc ipso de reliquis partibus, quæ similiter dicuntur illius esse Scripturæ, certi non reddimur: præterquam quod in Scriptura vera, et legitima nihil est quod ad fidem, et mores non pertineat, icut nihil est quod a Deo revelatum non sit. Et ita communiter sentiunt omnes qui post Concilium de hac re scripserunt Lindanus, Canus, Titelmanus, Leo Castro, Galarza, et alii, quos citat et sequitur Lorca tractatu de locis, disp. vii. Quoad accidentalem vero perfectionem in energia, elegantia sermonis, aut perspicuitate verborum tota simul translatio vulgata cæteris est perfectior, id est